

Hg. 13

20

DE  
AFFECTIBUS

---

DEMONSTRATIO PHILOSOPHICA.

QVAM

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI  
SISTUNT

P R Æ S E S

M. GODOFREDUS PROFE

AMPL. FACULT. PHILOSOPH. ADJUNCTUS,

ET

AUCTOR RESPONDENS

JOANNES CONRAD DANIEL HOYOLL

JUR. UTR. CULTOR.



---

D. OCTOBR. clo lccc xxxix.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
LITERIS HENDELIANIS.

AFFECTIBUS

DEMONSTRATIO PHILOSOPHICA

PHILOSOPHIAE

M. GODOFRIDUS PROFF

PHILOSOPHIAE



LEIPZIG

CELSISSIMO COMITI AC DOMINO  
DOMINO  
**JOANNI ERDMANNO**  
S. R. I. COMITI  
DE **PROMNITZ**,

LIBERO BARONI IN SILESIA DE BARONATU  
PLESENSI, DE SORAVIA, TRIBELO ET  
NAUMBURGO,

DOMINO DYNASTIARUM KLITSCHDORFF, DREHNA  
ET PETERSWALDA, NEC NON KREPPELHOFF  
AC JANNOWITZ CET. CET.

*COMITI AC DOMINO MEO LONGE  
CLEMENTISSIMO.*

CELESTINO COMITI AC DOMINO  
DOMINO  
JOHANNI ERDMANNO  
DE TROMNITZ

HERMANNI COMITI AC DOMINO  
DE TROMNITZ  
DOMINO ERDMANNO  
DE TROMNITZ

COMITI AC DOMINO  
DE TROMNITZ



CELSISSIME COMES,  
DOMINE CLEMENTISSIME.

*Q*uod cepi consilium, TUO CELSISSIMO NOMINI HAS LEVIDEN-  
SES ADMODUM PAGELLAS DICANDI, MULTIS PROCUŁ DUBIO IUSTO  
AUDACIUS INMO PÆNE REMERARIUM VIDEBITUR. Et ipse quidem  
DIFFITERI NEQUEO, RUBORE ME ESSE SUFFUSUM PLURIMO, DUM ANIMO PRI-  
MUM CONSTITUI, TENUI HUIUS DE AFFECTIBUS OPELLA ILLUSTRISSIMUM  
TUUM PRÆFIGERE NOMEN. Quum enim conveniat, splendidis  
ARQUE SUBLIMIBUS PERSONIS NON NISI SPLENDIDA AC MAGNIFICA OF-  
FERRE; VERECUNDIA SANE SUMMAQUE, QUAE TE VENEROR, ANIMI  
DEMISSE VEBEMENTER OBSTITERUNT, QUO MINUS TAM PARUM ELE-  
GANS TIBI DEDICOREM OPUSCULUM. Verum enim vero affectus  
AFFECTUM VICIT, & QUOD PUDOR PROHIBUIT, ID MAXIMA, QUAM  
TUA IN GRATIA COLLOCO, FIDUCIA SUASIT, DESIDERIUM VERO, QUO  
FLAGRO PRO BENEFICIIS IN ME COLLATIS SUMMIS GRATUM ANIMUM  
SUBMISSE SIGNIFICANDI IUSSIT. Quemadmodum enim incredibili  
CLEMENTIAE IN ME TUAE TRIBUENDUM EST, UT FAUSTO OMNINE STUDIA  
MEA ACADEMICA INCHOARE, EADEMQUE PROSPERE ADHUC PERSEQUI  
POTUERIM; ITA GRATITUDINIS OFFICIUM OPTIMO JURE A ME EXIGERE  
VIDERUR, UT PUBLICUM QUODDAM DEVOTISSIMI ANIMI EDAM DOCU-  
MENTUM, & HAS QALESQUUNQUE TIBI CONSECREM LABORUM PRIMI-  
TIAS.

rias. Suscipe itaque, CELSISSIME COMES, ea, qua soles humanitate atque clementia hunc, quem TIBI devotissimo cultu offero, exiguum & juvenilem laborem, summoque TUO patrocinio eum rueri clementer dignare Novam hanc atque insignem gratiam ad cineres usque grata venerabor mente. Summum praterea numen supplex rogo, ut TE carum patriæ pignus, splendidum CELSISSIMÆ GENTIS TUÆ ornamentum quam diutissime sospitem conservet atque florentem. Cumque jam in eo sit, ut, meta studiorum academicorum ex voto contecta, brevi abhinc tempore ad peregrinas TE conferas gentes; pio animi affectu gratulans felix faustum fortunatumque iter exopto. Comitetur TE undique præcipua quedam Dei cura, idemque optimus Deus TE ad patrias oras reducat saluum atque incolumem. Sic vota facit, & gratia TUÆ iterum iterumque quam humillime sese commendat

## CELSISSIMI NOMINIS TUI

Cultor ac cliens subjectissimus,  
devotissimus

A U C T O R.





## PRÆFATIO.

**R**Ecte cum Senaultio affirmare licet,  
*non esse seve totius philosophiæ moralis  
argumentum, quod magis philosopho-  
rum exercuerit ingenium, quam illud  
de hominum affectibus.* Quod si enim  
veterum pariter atque recentio-  
rum sapientum inspicere lubet mo-  
numenta, quam acriter de animi motibus disputarint,  
quilibet videbit. Neque hoc mirum. Cum enim ita  
a natura simus ficti, ut in eam potissimum rem mentis  
intendamus aciem, cuius se utilitas præ ceteris præbet  
conspiciendam; fieri profecto aliter non potuit, quam  
ut diligentissime de affectibus disseruerint philosophi,  
quorum usus tam late patet, ut omnium pene disciplina-  
rum studio conferat. Multus de his Theologo sermo,  
ubi differit de bonitate pravitateque functionum huma-  
narum. Orator flectendorum animorum magister,  
hanc sibi cognitionem quasi propriam ducit. Jam ve-  
ro qui legibus condendis, vel interpretandis atque iu-  
ri dicundo, erratisque emendandis vel remittendis præ-

sunt quam curiose affectuum momenta perpendunt, fuerintne delicta pacato animo, an perturbato patrata? In morborum curationibus atque tuenda valetudine quam præcipuas hæc cognitio sibi partes vindicet, supervacaneum censeo, accuratius explicare. GALENUS gloriatur, *se quorannis ægros non paucos sanare solitum non alio pharmaco, quam moribus animi ad quietem revocatis.* Et venerabilis Fridericianæ Senior *Fridericus HOFFMANNUS* disertis profitetur verbis, *se diuturna experientia animadvertisse, plures homines animi quam corporis confici morbis.* Quæ cum ita sint, non est, quod ingentem eorum segetem miremur, qui iustis voluminibus affectuum profecuti sunt argumentum, quosque hic recensere, longum ac minus e re nostra esse videtur.

Quamvis vero ipsi simus facti, magnum eorum esse numerum, qui de affectibus satis fusc sunt commentati; nihilominus tamen & nobis placuit, in hunc amplissimum excurrere campum, & de affectibus petere argumentum, in quo, quid humeri valeant, tentare possemus. Rationes inhi hujus consilii sunt plures. Primo nulla nobis cognita est lex, qua prohibeamur, quo minus aliorum laboribus & nostras qualescunque jungamus operas. Deinde neminem fugit, multos multa disputare posse de re aliqua, nec tamen ideo rem adeo exhauriri & quasi exsiccare, ut nihil plane supersit, quod disquisitione non egeat curatori. Remanet profecto semper non nihil, in quo etiam aliis vires ingenii exercere licet. Multi theologiæ antisteres de fide in Christum, multi Jureconsulti de evictionis præstatione, multi denique philosophiæ doctores de animæ cum corpore nexu longe lateque disceptarunt, & nihilo fe-

cuis

cius alii se novi quid reperisse sibi videntur, quod illis sit addendum. Quis præterea postulet a nobis, ut ea fumamus, quæ tam ardua tamque recondita sunt, ut virorum lacerti vix sufficiant labori in disquisitione illorum ponendo. Ipsa denique instituti ratio nonnihil ab aliorum studiis recedere videtur, quoniam ea, quæ alii de affectibus potius narrant, quam demonstrant, ex distinctis atque certis principiis ita deducere annitimur, ut eæ, quibus scriptores harum rerum involvuntur, tenebræ atque ambiguitates facile dispelli posse videantur. Atque hac de causâ non a nominis vel numeri, vel aliorum, quæ rem ipsam parum tangunt, disquisitione initium facere libet; sed in genesis affectuum ante omnia inquirendum, neque ea, quæ ad ejus explanationem faciunt, principia omnino nobis negligenda esse existimamus. Diversa enim & multiplex de affectibus institui potest disputatio. Considerari primo possunt ratione corporis, & earum, quas in eo producant, mutationum. Hanc considerationem Physicam convenientissime vocari & cum ea Medicam arctissime conjungi liquet. Alia est secundo Affectuum disquisitio, si eam, quam liberis actionibus vel ad commodum vel ad detrimentum afferunt vim spectas, & hanc quidem Moralem nominamus, cui innititur usus affectuum Rhetoricus, Theologicus, & ille, ob quem Juris doctores de animi motibus doctrinam ad suum quoque forum pertrahunt. Denique Affectuum natura simpliciter inquire potest, ita tamen, ut simul ea hinc deducantur corollaria, quæ reliquis apprime inserviunt disquisitionibus; Hanc Metaphysicam dicere placet, & ipsa ea est, quam in præsentem meditamus. Ad sit supremum Numen conatibus!

VI DEMONSTRATIO PHILOSOPHICA

§. I.

**Q**uicquid perfectionem nobis confert; dicitur *Bonum*, cum quo imperfectio conjungitur; *Malum*.

§. II.

*Fini* est, quod ens intelligens actionibus suis acquirendum constituit. A natura ira proni sumus conditi, quotquot cogitandi facultate gaudemus, ut nos nostrumque statum perfectiores esse actionibus nostris quæramus. *Bonum ideo fini nostro convenit; Malum eidem repugnat.* §. I.

§. III.

Propositio; **QUÆRE PERFECTIONES**, Lex naturæ vocatur. *Bonum* itaque *ejusque studium*, cum lege naturæ consentit. *Malum vero, ejusque desiderium eidem contradicit.*

§. IV.

Duplici ratione Bonum & Malum considerari potest; vel habito respectu ad legem naturæ, vel excluso hoc respectu. §. 2. 3. Si prius; *Bonum Morale*. Si posterius; *Bonum Physicum* nominatur.

§. V.

Nexum inter bonum physicum atque morale arctissimum esse liquet. Etsi enim hoc magis ad actiones liberas referatur, quarum norma lex est; Illud tamen sine actionibus ejusmodi neque acquiri neque possideri potest. Sanitas ejusque constantia est bonum physicum; studium sanitatis bonum morale, sed illa in hoc sui habet rationem, ideoque connexa sunt.

§. VI.

In consensu consistit perfectio, in Dissensu imperfectio; sed utriusque esse debet ratio sufficiens: per principium rat. suff. Ea igitur continetur, aut in rei ipsius indole atque natura,

tura, aut in nostro de eadem iudicio: Si illud: *Perfectio Vera*, si hoc: eadem *Apparens* erit.

Veritas in Ontologia definitur per Ordinem variorum, secundum quem quodlibet sui rationem sufficientem habet. Nihil igitur impedit, quo minus eodem modo veritatem, quæ perfectionibus inest, definiamus.

§. VII.

Bonum, cui adhæret perfectio vera; *Verum*: Cui apparens associatur; *Apparens* dicitur. Idem paucis mutandis mutatis ad mali divisionem applicari potest.

§. VIII.

Bona præterea atque Mala, in ea quæ *corporis, animi* atque *status externi* sunt, dispesci solent, prouti perfectio vel imperfectio, quam complectuntur, §. I. corpus, animum, vel statum nostrum externum contingunt. Quia autem hæc diuisio parum omnino ad hanc, quam meditamur, disputationem facit, ei diutius immorari non placet.

§. IX.

*Bonum nobis* dicitur id, cuius possessionem aut ad nos pertinere scimus, aut a nobis obtineri posse fingimus. Idem in Malum quadrat. §. I.

§. X.

Quicquid nos afficit, vel mutationem in nobis producit, *præsens* vocamus. Huic opponitur *absens*. Intelligi hinc potest, quid præsens aut absens *corpori, animo* vel *utrique* sit.

§. XI.

Representatio in mente rei corpori præsentis *sensatio*, rei absentis *Imaginatio* appellantur. Tum *sensatio*, tum *imaginatio* plura simul menti obijciunt. per exper. Eodem enim tempore diversis organis sensoriiis & quidem plura percipere

## VIII DEMONSTRATIO PHILOSOPHICA

cipere possumus; & quia imaginationis regula in associatione idearum fundatur, seriem representationum plurium, & sibi invicem similia una in animum reproducit.

### §. XII.

Quodsi plura objecta simul animo obverfantur, in nullo agnoscimus prædicata inexistencia separatim. per Exper. Ad *distinctam notionem* requiritur, ut prædicata, quæ enti insunt, singula seorsim represententur; sin minus, *confusa* mentis de objecto idea est. per Log.

### §. XIII.

Tum sensatio, tum imaginatio nonnisi confusæ rerum representationes sunt. §. II. 12.

### §. XIV.

Quodsi res confuse represententur, naturam, & indolem earum introspicere non licet. §. 12. Ideoque per confusas ideas perfectio vera ab apparente vix distingui potest. §. 6. Et sensatio atque imaginatio perfectionem apparentem pro vera, & hanc pro apparente habere potest. §. 13.

### §. XV.

A confusa ad distinctam rerum cognitionem progredimur, per *Attentionem*, quæ plura negligendo unius rei ideam solam servat, & *Reflexionem*, quæ singulorum enti in-existentium representatio est. Facultas denique res distincte representandi *intellectus* dicitur.

### §. XVI.

Cognitio rei mediante signo, *symbolica*, ea, quæ sine signo fit, *Intuitiva* audit. Cognitio symbolica apprime inservit distinctis rerum formandis notionibus, per exper. & distincta cognitio hinc plerumque symbolica esse solet. Intuitiva autem, quia a sensibus & imaginatione ut plurimum proficitur, confusa esse solet. per exper.

### §. XVII.

## §. XVII.

Cognitio rei ut bonæ intuitiva, *Voluptatem*; Cognitio rei ut malæ intuitiva *tædium* parit, & cum intuitiva cognitio plerumque confusa esse soleat. §. 16. per confusas autem ideas vera perfectio vel imperfectio, ab apparente difficulter distingui possit §. 14. Voluptas æque ac tædium in apprens, & verum distingui potest. §. 6.

Non inficiamur, Voluptatem quoque ex distincta rei cognitione oriri posse, & admittimus voluptatis distinctionem in sensitivam & rationalem. Confusam tantum cognitionem in nobis frequentissime ejus matrem atque fontem esse, asserimus.

## §. XVIII.

Voluptas, vel tædium verum rei naturæ innititur §. 13. 6. quæ mutationis nescia est, per Met. Hinc tum illa tum hoc constans erit. Voluptas vel tædium apprens nostro iudicio funditur §. 17. 6. quo nil mirabilius. per Psych. E. Utrumque inconstans est.

## §. XIX.

Cave vero existimes, sola bona, quæ jucunda, & præter dolorem nullum esse malum. Etsi enim bona voluptate, & mala tædio tantum non semper consocientur; neque tamen voluptas neque tædium a rebus immediate, sed a nostra earum dijudicatione, qua nihil fallacius est, proficiscitur. §. 17.

## §. XX.

Quicquid repræsentamus aut bonum, aut malum est, §. 6. involvit enim respectu nostrum aut consensum aut dissensum. Non autem hinc sequitur, animum nostrum semper vel voluptate perfundi, vel tædio affici. Nisi enim accedat cognitio intuitiva, tum bonum tum malum menti obvium esse potest, nulla coexistente vel voluptate vel tædio.

B

§. 17.

§. 17. Experiri hoc solemus, quando antequam voluptas vel tædium mentem occupat, transire ab enarratione cujusdam rei, ad immediatam ejus ope imaginationis repræsentationem nobis necesse est. Cajus per literas de morte parentum certior fit, nisi sibi paternam maternamve imaginem formet, ipsamque rem domesticam intueatur, tædium sane non sentiet.

## §. XXI.

Bonum compositum oritur ex concursu simplicium, & Compositum ideo majus est, quam simplex. Idem de malo affirmari potest. §. 1.

## §. XXII.

Quo majus bonum, & quo major intuitiva ejus cognitio, eo major voluptas; §. 17. Quo majus malum, & quo magis intuitive repræsentatur idem in animo, eo majus tædium creatur §. 17. & per princ. rat. suff.

## §. XXIII.

A cognitione rei, ut bonæ, & quidem nobis mediahæte voluptate transimus ad *Appetendi actum*, qui consistit in conatu sensationem de boni cujusdam possessione producendi. A cognitione rei ut malæ & quidem nobis ad *aversationem* progredimur. Hæc autem nihil aliud est, quam nifus sensationem de mali possessione avertendi.

## §. XXIV.

Potest ergo tum voluptas, tum tædium menti inesse sine appetitu vel aversatione, si bonum ex quo voluptas oritur, vel malum fons tædii non ut ad nos pertinentia repræsentantur. §. 23. Aliena bona enim delectant quidem, vel jucunditatem excitant; appetitum tamen non prius alligunt, quam a nobis ea possideri posse vel credimus, vel saltem fingimus. §. 9.

## §. XXV.



## §. XXV.

Tum voluptas, tum tædium gradus admittit §. 22. Eosdem hinc in appetitum & averfationem cadere, dubitari nequit. §. 2. 3. Operæ præfium est, denuo inquirere, unde appetitus vel averfationis vehementior gradus oriatur.

## §. XXVI.

Vehementior erit appetitus 1) si in objecto quodam plura bona esse per sensus cognoscis, & imaginatio talia, quæ olim eidem adjuncta fuerunt, una reproducit, (nec non insuper memoria te de pristina inexistentia certum reddiderit). 2) Si omnia ea, aut plurima saltem intuitive maxime percipis. 3) Si eorum possessionem ad te pertinere magis vel minus certus sis. E. Bonum præfens magis appetitur, quam futurum, si illud certum, hoc incertum est.

## §. XXVII.

Vehementior erit averfatio 1) si in ente quodam plura mala sensibus deprehendis, & imaginatio quoque pristina cum eo connexa revocat. 2) Si horum quoque cognitio intuitiva est. 3) Si ea ad nos pertinere minime dubitamus.

Consuetudinis quoque, ac habitus non omnem excludendam rationem esse, experientia docet. Quo quis sapius enim cupiditati aditum aperit, eo fortior redit.

## §. XXVIII.

Nisi tertium requisitum §. 26. 27. desit: Verum est, quo major voluptas, eo vehementior appetitus, quo majus tædium, eo vehementior averfatio. §. 24. 27.

## §. XXIX.

Præterea Appetitus, qui oritur ex confusa boni cognitione dicitur *sensitivus*; Ille autem cujus fons distincta boni representatio est; *Rationalis*. Applicata idem ad averfationem §. 23. sequitur hinc: 1) Illum in nobis esse solere ve-

hementem, hunc non §. 16. 26. 27. n. 2. 2) In illo bona vel mala apparentia frequentius objectum constituere, quam in hoc. §. 29. 14.

## §. XXX.

Vehementior vel appetitus vel averfatio sensitiva, Affectus nobis dicitur. E. In quolibet affectu duo distingui possunt, ipse appetitus vel averfatio; & vehementia utriusque ad affectum constituendum necessaria. Voluptas autem atque tedium inter affectus numerari nequeunt. §. 23. etfi ad generationem eorum concurrant. §. 26. 27.

## §. XXXI.

Frequenter vocabulum Affectus latiori significatu sumitur pro quolibet appetitu, vel averfatione omni etiam exclusa utriusque vehementia. Hinc tres a nonnullis constituuntur affectus cardinales. Avaritia, Ambitio, atque Voluptas (Wollust) sed quia hæc sine vehementiori appetitus gradu consistere nonnunquam possunt, nobis huic sententiæ subscribere haud licet. §. 30.

## §. XXXII.

Quia affectus consistunt in vehementiori vel appetitu vel averfatione, §. 30. recte hinc dicuntur perturbationes animi.

## §. XXXIII.

Datur status animi a voluptate & tædio liber §. 20. Datur itidem status sine appetitu & averfatione §. 24. Multo magis affectus nonnunquam abesse possunt. §. 30. Sume adesse voluptatem; Tedium; ibi coexistere appetitum; hic averfationem; Affectus tamen nondum existit, nisi singularis vehementiæ gradus adsit. §. 33.

## §. XXXIV.

Gradus omnis involvit quantitatem, quæ potest, & debet

bet determinari. Quæris: Quis vel Quantus ad affectus existentiam requiritur gradus? Quis superior sufficit? Quis inferior non sufficit? Respondeo. Etsi ea, quæ animæ sunt, mensuræ subjicere, sua non destituatur difficultate; hic tamen responsio facilis erit. Omnis vel minimus vehementiæ, qualem descripsimus §. 26. 27. gradus affectum efficit, & cum ipsâ vehementia major vel minor esse possit, sequitur, affectus quoque ratione graduum quam maxime differre. §. 30.

## §. XXXV.

Ad vehementiam appetitus vel averfationis concurrat imaginatio §. 26. 27. E. hujus quoque circa affectus maximam vim esse sequitur. Et quo quis promptiore gaudet imaginatione, eo ad affectus erit proclivior.

## §. XXXVI.

Existente in animo sensatione, imaginatio *mira celebritate* reproducit ea, quæ cum isto objecto olim conjuncta fuerunt. per exper. Hinc explicari potest celerrima, ac inopinata affectuum generatio. §. 35.

## §. XXXVII.

Affectus sunt vel appetitus vel averfationes. §. 30. Idemque vel cum voluptate vel cum tædio conjunguntur. §. 23. Illi jucundi, hi injucundi vocantur. Hi denique, in quibus tum voluptas, tum tædium adunatur, mixti vocantur. Jucundi opponuntur injucundis, & illorum suavitas horum acerbitate expellitur; horum asperitas illorum dulcedine mitigatur. per exper.

## §. XXXVIII.

Affectus ad facultatem animæ appetitivam pertinent. §. 29. 30. Hinc de sede ipsorum inanis disquisitio, quippe quam communem cum anima habent, videretur.

Plato hominis naturam monstri similem esse iudicat, quod in supra parte virginis, in media leonis, in infima canis speciem præ se ferat. Supremam partem vocat: *Ἡγεμονικὴν*, quæ complectitur mentem, & voluntatem: seu facultatem cognoscentem, & cognita libere eligentem. Mediam *Θυμικὴν* s. *θυμὸν* appellat, ad quam affectus refert, qui non ad nutritionem, sed ad defensionem pertinent. Infimam denique *Ἐπιθυμητικὴν* esse dicit seu appetitum naturalem, quem in fame, siti, appetitione generationis consistere putat. Hujus sedem figit in Hepate, quia hoc membrum dominatur inter ea, quæ proprie ad præparandum nutrimentum condita sunt, secundam partem ad eoque Affectus collocat in corde, tertiam denique seu supremam in capite habitare existimat.

## §. XXXIX.

Numerum affectuum alii majorem, alii minorem ineunt, prouti hanc denominationem vel latiori vel angustiori significatione accipiunt. §. 31. Affectus singulos enarrare, & describere non constitutum habemus; hoc saltem monere placet, quia affectus vel ex boni vel ex mali cognitione oriuntur, utrumque autem vel præsens vel præteritum vel futurum, nec non aut ad nos, aut ad alios pertinens spectari potest, facile est, affectuum omnium censum habere.

Potiores hæc tabula exhibet sed generalissime consideratos:

## I. Ex boni

- 1) Præsentis cognitione intuitiva oriunda vehemens voluptas
- 2) Generatim GAUDIUM dicitur;
- 3) Speciatim, si bonum aut ad nos, aut ad alios pertinens consideratur gaudium de eo AMOREM testatur.
- 4) Specialissime,
  - a) si ad nos. PHILAUTIA, vel ACQUIESCENTIA.
  - b) si

- β) si ad alios quos amamus; CONGRATULATIO vel FAVOR. quos odimus INVIDIA.
- γ) si ad benefactorem pertinet; GRATITUDO. (Dankbarkeit) vocatur.
- 2) Præteriti boni cognitio MOESTITIAM,
- 3) Futuri boni cognitio SPES gignit,
- 4) Boni de nobis, nostrisque perfectionibus iudicii cognitio GLORIAM parit.

## II. Ex Mali

- 1) Præsentis cognitione intuitiva vehemens oriundum tædium  
 ✕ Generatim TRISTITIAM vocamus.
- 2) Speciatim. Si malum aut in nobis aut in alio observatur; ODIUM erga nos vel alios oritur.
- 3) Specialissime. Malum, quod  
 α) Nos patrasse conscii nobis sumus POENITENTIAM;  
 β) Alii inhærere videmus, quem amamus, MISERICORDIAM, quem odimus IRRISIONEM  
 γ) Nobis illatum esse observamus. IRAM excitat.
- 2) Præteriti mali cognitio, LÆTITIAM;
- 3) Futuri mali prævisio FUGAM, TIMOREM, TERROREM, HORROREM, DESPERATIONEM;
- 4) Mali de nobis iudicii conscientia denique PUDOREM ciet.

## §. XL.

Affectus evanescent, vel mitigantur saltem objecto, ex cuius representatione proficiuntur, distincte evoluto. per exper. Ergo ad appetitum rationalem referri nequeunt. §. 29. ideoque falsa per eam, quam dedimus, definitionem §. 30. affectuum divisio est in sensitivos & rationales & sæpissime circa bona vel mala apparentia occupantur. §. 29.

## §. XLI.

## §. XLI.

Tum sensationes, tum imaginationes in nostra potestate sunt. 1) Illæ quatenus origo earum impediri potest cohibendo objecta a sensu isto corporis, per quem animum ingredi conantur; Vel unam sensationem per aliam fortio-rem supprimendo. 2) His occurritur evitando sensationem objecti, quod imaginatione revocari nolumus. Vel non percipiendo ea, quibus pristina nobis nolentibus coexistere posse putamus; Vel denique imaginationes existentes sup-primendo per sensationes majorem gradum claritatis in animo habentes. per Psychol.

## §. XLII.

Positis vel ad sentiendum, vel ad imaginandum requi- sitis liberum nobis non est sentire & non sentire; imaginari, vel ejusdem actionem omittere. per Psychol.

## §. XLIII.

Affectus oriuntur ex sensationibus §. 30. 29. 12. 11. & ima- ginationis circa eosdem maxima vis est. §. 35. Hæ in no-stra potestate suo modo sunt. §. 41. E. Affectus quoque no- bis parent, quatenus 1) tum cohiberi possunt ab animo im- pediendo sensationes vel imaginationes, unde originem su- am ducunt, 2) vel jamjam existentes supprimi possunt ob- scurando sensationes & imaginationes unde orti sunt, per a- lias clariores; vel objectum distincte examinando. §. 40.

## §. XLIV.

Sensationes æque ac imaginationes, quibus affectus gi- gnuntur, adeo fortes sunt, ut fortiores, quibus supprimi possent, excitari difficillimum sit. per exper. §. 30. Hoc medium ideo affectus per contrarios depellendi §. 37. vix lo- cum habet. §. 43.

## §. XLV.

## §. XLV.

Animo sensationibus, & imaginationibus occupato, nulla neque attentio neque reflexio exerceri rite potest. §. 15. Affectus igitur attentionis & reflexionis officium difficile reddunt. §. 46.

## §. XLVI.

Per attentionem & reflexionem ad distinctam penetramus rerum cognitionem. §. 15. Affectus igitur distinctam rei evolutionem impediunt omnino, vel difficillimam efficiunt. §. 45. Ideoque hac etiam via §. 40. 43. nempe per distinctam rei considerationem supprimi iidem facile nequeunt.

Ille qui distincta rei dijudicatione affectibus occurrere, vel eorum impetum vincere potest, DOMINUS AFFECTUUM dicitur. Intelligitur hinc, quid SERVITUS MORALIS, eamque diversos gradus admittere.

## §. XLVII.

Ortui, vel generationi affectuum multiplici modo curri potest. §. 43. 41. Et quanquam existant sensationes & imaginationes in mente ad affectum pariendum sufficientes, ipsi tamen affectus hypothetice necessario solum sequuntur; ita ut remotis & impeditis illis, hi quoque abesse possint. per Met.

## §. XLVIII.

Imputatio est applicatio legis ad factum, & actio moraliter imputabilis non iudicatur, cujus existentia vel non-existentia ad nostram voluntatem efficacem referri non potest. per pr. Jur. Nat. Affectus non absolute necessario existunt §. 47. sed potestati nostrae, atque voluntatis imperio certa ratione subiecti sunt §. 40. 47. E. Tum Affectus ipsi, tum actiones cum iis conjunctae, vel hinc sequentes pro moraliter non imputabilibus iudicari nequeunt.

C

§. XLIX.

## §. XLIX.

Cum affectibus singulares motus in corpore nostro, e-  
jusque sanguine coexistunt. per exper. Hi magnam sanita-  
ti nostræ inferre possunt commutationem.

Motus hic sanguinis cum quibusdam affectibus conjunctus in cor-  
de præcipue animadvertitur, unde sententia de corde affectuum  
fede manasse videtur. Etsi enim hæc opinio plurimis ardeat, fal-  
sam tamen eam esse vel hinc liquet, quia affectus cum effectu ipso-  
rum nempe sanguinis motu confunduntur. MELANCHTHON.  
*libr de Anima* ait: Affectus non esse opiniones manifesta demon-  
stratio est. Quæ subjectis differunt diversæ res sunt. *Opinio*  
*est in cerebro, Affectus in corde.* Melius S. Rev. WALCHIUS *in Lex.*  
*Phil.* Das ist eine ausgemachte Sache, daß die Affecten  
zum Willen gehören, worinn denn alle Philosophen aus-  
ser dem CARTESIO einstimmig sind, und die eigne Erfahrung  
lehret nicht undeutlich, daß sie nicht im Gehirn, sondern im  
Herzen sich NB. äußern.

## §. L.

Per naturam intelligitur id, unde entis mutationes pos-  
sunt derivari. per Met. Ex vi animæ repræsentativa profi-  
ru corporis limitata omnes ejus mutationes fluunt. per Psych.  
E. Vis repræsentativa constituit Animæ naturam.

## §. LI.

Non solum appetitus & aversio, sed ipse quoque u-  
triusque vehementior gradus ex vi animæ repræsentativa  
fluunt per Psych. & §. 26. 27. ideoque ad naturam animæ per-  
tinent. §. 50. His autem duabus partibus constituuntur af-  
fectus §. 30. E. Affectus etiam in natura animæ fundati sunt.

## §. LII.

Quicquid ad naturam entis pertinet, separari ab eo ne-  
quit per Metaph. Affectus ergo extirpari & omnino e-  
mente tolli impossibile est. §. 51.

Fuit



Fuit hæc sententia veterum Stoicorum, omnes omnino affectus funditus a sapiente ex animo convellendos esse. Cum enim durum hoc atque asperum philosophorum genus nihil præter virtutem, quæ sola ratione cognoscitur, appetendum esse doceret, in eas omnino virum sapientem conjecerunt angustias, ut nec dolere possit aliquando, non lætari, non odisse, non amare, non aliis omnino moveri objectis. Cum deinceps alii Zenonis sectatores hanc scholæ suæ doctrinam mitigare inciperent, ne odium omnium incurrere viderentur; Defensores recentiores invenisse sibi frustra visi sunt, quæ ad excusanda dogmata stoicorum faciunt. Patres Ecclesiæ eandem amplexos esse sententiam non credimus. Etsi enim JOH. BARBEYRAC. Cap. V. §. 44. p. 62. *Morale de Peres* locum adferat ex Clemente Alexandrino; adeo tamen vagis & ambiguis boni hi doctores utuntur in diversis locis locutionibus, ut huic sententiæ ex animo subscripsisse non videantur. Ii autem, qui recentioribus temporibus mystici vocantur, majore jure huc referri possunt. Præcipuum enim, quod de vita moribusque christiani docent, in eo situm est, ut nullos omnino affectus in se patiat, sed eorum adeo expertus sit, ut in inferno mallet sudare, si Deus veller, quam in paradiso lætari Deo nolente. vid. BOSSUET *Instructions pastorales* p. 338.

## §. LIII.

Affectus a natura nostra separari nequeunt §. 52. sed arctissime cum eadem coherent. Hæc autem affectuum cum natura nostra connexio triplici modo intelligi potest; vel 1) de Affectibus exclusa omni appetitus vel aversationis vehementia. 2) De sola affectus excitandi facultate, qua natura nostra quidem ea continet, quæ ad genesis affectuum requiruntur, sed non fundit actualem & veram eorum existentiam. 3) De existentia, ita ut propter naturam nostram quæ affectus nonnunquam non erumpere nequeant.

## §. LIV.

Prius repugnat nostræ definitioni. §. 30. Tolle enim vehementiam, & nullus remanet affectus. Hanc ipsam autem vehementiam adeo arte coherere cum natura nostra, ut ab ea disjungi omnino nequeat, inde sequitur, quia confusæ rerum repræsentationes, quales sunt sensationes & imaginationes, unde hi vehementiæ gradus proficiscuntur, pendunt ab ea, qua vis animæ circumscribitur limitatione, quæ autem, donec mens corpus inhabitat, abesse nequit. §. 31.

Frustra igitur patroni stoicorum extirpationem affectuum de nimo eorum impetu, & effrenata perturbatione interpretantur. Exuendum enim antea corpus esset, sensus accœcandi, imaginatio exstinguenda, quibus plura vel bona vel mala animo simul obijciuntur, quam de hac affectuum vi penitus tollenda cogitarent.

## §. LV.

Non autem solum affectus habendi facultatem naturalem nobis esse, sed eorum existentiam quoque natura sequi demonstratur; quia positis requisitis ad sentiendum, sensitio; ad imaginandum, imaginatio sequitur ita, ut impediri a nobis nequeat. §. 42. accedit, quod affectus sæpe nobis non opinantibus oriantur. §. 36. Potest frequentior generatio affectuum impediri. Potest hujus determinate affectus ortui occurrere sub his circumstantiis, vel hoc tempore. Potest existentia affectus durationi limes poni, ejus vehementiam mitigando, vel necando §. 43. sed omnem omnino existentiam affectuum impedire haud valemus.

## §. LVI.

Affectus cum natura nostra artèssime conjuncti sunt §. 35. Eamque ob rationem eidem repugnare, vel dissentire ab ea, adeoque imperfectiones esse nequeunt. §. 6.

## §.LVII.

## §. LVII.

Quicquid fini nostro convenit bonum est. §. 2. Finis, quem natura magistra sequimur, est perfectionum acquisitio, imperfectionum evitatio. §. 2. Neutrum autem sine facultate appetendi & averfandi locum habet. §. 23. E. Facultas appetendi & Averfandi in fe bona est.

## §. LVIII.

Ex facultate appetitiva & averfativa fluunt affectus. §. 30. Hi ergo quoad primam fui faltem partem boni funt §. 30, & quidem, quia nullum refpectum habuimus ad legem, phyfice boni funt. §. 4.

## §. LIX.

Bonum minus in collifione cum majori malum est, quia perfectione nos privat. Malum minus in collifione cum majore bonum est, quia imperfectione nos liberat. §. 1.

## §. LX.

Ponamus omnia pari gradu a nobis appeti bona, & nos mala æquali intenfione omnia averfari; Neque appetitus neque averfatio tunc fini nostro conveniret, nam bonum minus æque appetere possumus, quam majus; hoc est bonum & malum appetimus fine difcrimine. §. 59. Quod maximam continet imperfectionem.

## §. LXI.

Major vehementiæ gradus tum ab appetitu tum ab averfatione fine imperfectione abefle nequit. §. 60. E. Bonus fit neceffe est. §. 2. In vehementia appetitus & averfationis confiftit altera pars affectuum §. 30. E. Affectus quoque quoad alteram fui partem boni funt.

Perfpexerunt hoc inter antiquos philofophos præfertim Aristotelici; effectum enim hinc est, ut motus animi illos, quos affectus appellandi mos est, laudarent, probarent, defenderent. Iracundiam,

XXII DEMONSTRATIO PHILOSOPHICA

diam, ut Cicero loquitur, dicunt esse eotem fortitudinis, multaque & in hostem, & in cives improbos vehementiores iratorum impetus esse; dimicare pro legibus, pro patria, pro libertate nullam habet vim, nisi ira excanduit fortitudo. Accepimus, ultimas terras lustrasse Pythagoram, Democritum, Platonem, ubi quicquid esset, quod addisci posset, eo veniendum iudicaverunt; Num putemus hæc fieri sine summo cupiditatis ardore potuisse? Quantum ad ipsam virtutis culturam in affectibus situm sit auxilium, secundum illud Homeri:

*Virtuti immitte furorem.*

omnes testantur, qui doctrinam de moribus ita tradunt, ut facilem virtutibus defungendi simul viam commonstrent.

§. LXII.

Affectus boni sunt, §. 61. Extirpare eos ideo consilium non est. Potius excitari haud saepe, atque foveri merentur, quod qua ratione fieri possit cognitu difficile non est ex §. 26. 27.

§. LXIII.

Affectus in se boni sunt §. 56-62. Quodsi igitur iis tamen pravitas quædam tribuenda sit; ea a natura eorum interiore pendere nequit, sed vel ab objecto circa quod occupantur, vel a consequentibus cum iisdem connexis repetenda est.

Sunt quidem affectus appetitus & aversiones non nisi a confusa rerum representatione originem ducentes, sed numne ideo vituperari merentur? Est ne omnis rerum confusa cognitio adeo prava, & detestanda, sine qua tamen ne distincta quidem in nobis locum haberet? Expelle confusas notiones, ejura confuse representandi modum, & ipsa distincta cognitione tibi simul cavendum erit.

§. LXIV.

Affectus legi conveniunt; si non nisi ad bonum feruntur, & malum refugiant, §. 3. atque in eo consistit eorundem bonitas moralis. §. 4. Cum autem bona, & mala apparentia

tia frequentissime in iis locum inveniunt. §. 40. per objecta affectibus pravitas moralis aspergi potest. §. 64.

Qua propter optime sibi consulunt, qui in aestimanda affectuum vel bonitate vel pravitate omnium circumstantiarum sedulo habent rationem. Fieri enim potest, ut affectus in altero tanquam bonus laudetur, qui in altero tanquam malus vituperatur immo punitur. Exemplo rem illustremus. Misericordiam bonam & maxima laude dignam esse quilibet concedit; fingamus autem prætorem pro tribunali sedentem positaque hasta de crimine atroci cogniturum; Adest reus squalidus, utroque pede claudus famelicus misere lacrymans, numne iudicem decet, miseria hominis moveri, vindictam omittere, poenamque condonare? Ira in milite pro laribus adversus hostes dimicantem summis laudibus extollitur, quæ in milite alio commilitonem suum aggrediente poena coercetur. Mirum hinc nemini esse potest, qui animum mecum ad jurisprudentiam applicat, quando in legibus observat affectus quosdam reprobari, & sanctionibus vetari poenalis, ad quos theologia & morum doctores nos hortantur, atque excitant. Insigniter errat, qui ex L. 19. §. 1. ff. de offic. Præsid. colligeret misericordiam atque iram esse affectus malos, quia a prudentissimis legum latoribus improbantur.

§. LXV.

Affectus attentionem, reflexionem, s. distinctam rei considerationem difficilem reddunt. §. 45. Sine distincta cognitione nulla libertas per Psychol. sine libertate nulla neque bonitas neque pravitas moralis per Phil. moral. Alterum habes incommodum affectuum. §. 63. 64.

§. LXVI.

Rationis exercitium pariter distinctam supponit cognitionem per Psychol. E. Huic quoque affectus obicem ponunt non sine difficultate removendum. §. 45. Quod tertium detrimentum maximum quoque esse, nemo dubitabit. §. 29.

§. LXVII.

XXIV DEMONSTRATIO PHILOSOPH. DE AFFECTIBUS:

§. LXVII.

Dominatur in affectibus, qui distincta rerum dijudicatione imperum eorum vincere potest. §. 46. Quo igitur facilius hæc victoria obtinetur, eo majus dominium est. §. 46.

§. LXVIII.

Dominium in affectibus obtinere etsi nunquam difficultate destituatur §. 46. neque tamen ideo impossibile est. §. 46. E. secundo & tertio incommodo per hoc dominium mederi possumus §. 65. 66. Idemque propterea extirpandi penitus non sunt.


PLUTARCHUS libro de virtute morum ait: Si hæ affectiones tolluntur ex animo, rationem in multis segnem futuram; perinde ut navitam a vento, & aurigam a vehiculo destitutam. Utque in corporibus medicina non querit interneccionem caloris vel frigoris, sed moderationem; ita non esse laborandum, ut animi affectus intereant; sed pacati, & rationi subiecti in harmonia quadam persistant. Otiosa profecto in multis foret virtus, si non haberet, quos vinceret, affectus, & qui potiores virtutis occupationes considerabit, eas maxime ad regendos affectus tendere videbit.

§. LXIX.

Cum affectibus in corpore existunt motus sanguinis extraordinarii. §. 49. His valerudinem sæpe infirmari, immo morbos gravissimos oriri posse, omnes testantur, qui artis medicæ periti sunt. Ultimum hoc esse censemus momentum, quo affectus noxios esse sequitur.

§. LXX.

Verum enim vero, quia hi motus cessant, ipsis affectibus mitigatis vel extinctis per exper. Huic quoque ab affectibus oriundo detrimento medicina parata est. §. 46. Cum alii præterea affectus sint, qui, quantam robori corporis utilitatem afferant, dici fere nequit; Hanc ob causam affectus omnes mali, & noxii vocari non merentur.



NOBILISSIMO DISPUTATIONIS AUCTORI

SAL. PLVR. DIC.

SIGISM. IAC. BAUMGARTEN.

**D**Vpliciter delectatus sum disputatione TVA, et quod laudabilem in TE proficiendi ardorem satis mihi iam ante probatum, felicesque in bonis litteris progressus factos de nouo perspexi, et quod TVAM praesidisque praeclarissimi in me voluntatem ex publica oppositione mihi demandata intellexi. Neutrum, crede mihi, sine singularis laetitiae sensu percepi. Quum enim ad temporum felicitatem magni interesse existimo, omnium ordinum studiorumque litteras solide tractari, haud mediocrem voluptatem capio ex erectiorum iuuenum contentione non solum sacris litteris initiatorum, quorum peculiarem curam ad me pertinere puto, verum etiam reliquarum disciplinarum studiis consecratorum. Inter quos, qui iam hic litteras colunt, quorum mihi innotuit indefessa in tractandis legibus industria sine neglectu studiorum, quae iustitiae sacerdoti et ornamento et vsui sunt, quem TIBI praeferrere noui omnino neminem. Cognitam exploratamque habui hanc sollicitudinem TVAM nihil praetereundi quod e re litterarum, quibus TE addixisti, fore arbitraris, quum priuatissimis scholis meis historiae christianae et antiquitatum sacrarum iuri canonico profuturarum, vna cum generosissimis commilitonibus, quibus illi labores destinabantur, assiduam operam dares. Atque haec ipsa dissertatio a TE conscripta satis comprabat, quam feliciter philosophiam cum iure addiscendo coniunxeris. Argumentum, quod disputas, ex psychologia desumptum dignum sane est, in quo curatius explicando demonstrandoque elaborares, mihi autem mirifice placuit, idque eo magis quo diuturnior graviorque

D

fuit

fuit eiusdem rei meditatio, quae me hos dies in reuidendo e-  
dendoque elegantissimo WATTSII libro theologico, de pre-  
rio affectibus statuendo, vsuque eximio in religione occupa-  
tum tenuit. Onus oppugnandi TE publice quod mihi impo-  
suisi graue dicerem et difficile planeque detrectarem si per  
amicitiam liceret officiumque pateretur. Non TIBI magis  
quam mihi ipse deessem si hanc amoris in me TVI significatio-  
nem non amplecterer foueremque et oblatam opportunita-  
tem negligere publice restificandi et quam cupiam ingenio  
TVO, de quo praeclara omnia spero, et quantum velim stu-  
diis meritisque clarissimi praesidis TVI, mei dudum aman-  
tissimi. Comparebo igitur, congruediar vobiscum licet vnus  
omnium optime provideam, quam sim inferior ex conflictu  
discessurus, qui si vel maxime voluntate viribusque pugnandi  
non destitueret, otio tamen ad excogitandas obiectiones ve-  
stra dexteritate non indignas nunc quidem penitus careo.  
Pluribus TE non morabor. Gratulationem quam mereberis  
nondum occupabo sed coram expediam. Officiosissimum  
amorem non bonis verbis sed ipsa re declarabo. Vale. Dedi  
Halaë ad Salam in acad. Frid. prid. Id. Oct. c1710 cccxxxix.

NOBILISSIMO RESPONDENTI ATQUE AUCTORI

SAL. PLUR. DICIT

P R Æ S E S.

**S**imul ac singulares & eximiae ingenii iudicii que dotes  
quibus benignissimum Numen TE, AMICISSIME HO-  
YOLL! largissime exornavit, paucis ante annis intimius  
mihi innotescerent, quanto adversus TE amore, quamve in-  
tenso TIBI inserviendi studio exarserim verbis exprimere,  
crede mihi! fere nequeo. Maxima animum meum perfun-  
dit voluptate istius temporis recordatio, quo me philosophi-  
am



am in primis docentem rara industria prosequeris, omnesque cordati in optimam de TE spem adducebantur. Hanc non fallacem, vel inanem omnino fuisse hodiernus tandem dies clarissime evincit. Singulas enim, quæ a sapientia nomen habent, scientias, ex quo in disciplinam meam concessisti, tanta assiduitate perferatus es, & mira celeritate ita percepisti, ut nihil omnino deesse videretur, quam progressio ad ea sacra, in quibus harum amplissima deprehenditur utilitas. Etsi igitur deinde vastissimum jurisprudentiæ campum emetiendum ingressus partes ejus excitato studio justove ordine non salutare, sed obire & plene assequi annisus sis; Tantum tamen abfuit ut deliciis philosophicis nuntium mitteres, ut illæ potius usque dum industriæ TUÆ non minimam partem sibi jure vindicare videantur. Qua in re uti a more hominibus tui ordinis consueto maxime discessisti; ita mihi in dies exoprator, atque jucundior redditus es. Verum enim vero ea ratione me TIBI obstrictum, quin TUUM omnino fecisse nondum satis visum fuit; Accedit solemnitas hæc disputatio, in qua me TIBI socium atque moderatorem esse humanissime jussisti. Quo cum mihi jucundius quid contingere non potuerit; lubentissime delatam spartam suscipio, & pro eo, quod TIBI debeo, officio exsequar. Gratulor ergo TIBI specimen præclaræ eruditionis TUÆ publicum; Gratulor methodum philosophicam, qua uteris in dissertatione doctissima, cujusve singularem TIBI esse facultatem semper gavissimus; Gratulor ipsum hujus opusculi argumentum utilissimum. Etsi enim illi, qui harum rerum iniqui & superbi iudices sunt, TE in re vulgari & notissima versatum esse censeant, verum tamen esse agnosco, quod ille, quem laudas senaultius judicat: *Si j'ose dire mes sentimens avec libere, & s'il m'est permis de juger de mes maitres, il me semble, qu'il n'y a point de matiere en toute la philosophie, qu'on ait traitée avec plus de pompe, & avec moins de profit.* Quæ cum ita sint, Æstimatis-

matissime Amice! defende eam, quam ventilationi publicæ exhibes, demonstrationem strenue, certam enim TIBI spondeo victoriam in re utut acriter ventilata, & maximis ab antiquis inde temporibus dubiis obnoxia. Nihil enim est, quod eximia TUA soliditas adversariis impugnandum reliquit, omnia adeo certis instruxisti principiis, ut nulla telorum vi & copia subrui possint. Quod superest ipse Deus clementissimus omnium bonorum fons & scaturigo succurrat his & omnibus TUIS cæptis. Adaugeat eximium & graviter cultum ingenium Tuum gratiæ suæ thesauris, multosque fructus ex eo in summi nominis sui gloriam efflorescere jubeat. Ita vale in rem TVAM, & mei, qui TE amar, & colit quam quis maxime memoriam, si quid mereor, excidere animo TVO ne patiaris! Dab. e Museo cIoIo c c x x x i x. d. 17. Octob.

**S** Freund! Du legst ein Zeugniß ab was der Fleiß für Nutzen giebet;  
 Du erweist öffentlich wie Du Dich bisher geübet;  
 Wie Du Sätze, Schluß und Sachen, klar und deutlich eingefehret,  
 Und das ächte Kunst und Wissen nur in Gründlichkeit bestehet.  
 Es entdeckt Deine Schrifft, was Begierden sind, vermögen,  
 Wie sie sich in mancherley bey verschied'ne Menschen regen,  
 Und zugleich, daß Deine Neigung bloß nach wahrer Weisheit trach't,  
 Die Dein Fleiß und Wiß und Eiffer Dir zum Eigenthum gemach't.  
 Nun, so eradte fröhlich ein, was Dir Fleiß und Kunst versprechen,  
 Mach, daß wir Deinem Werth bald noch größern Lohrbehr brechen.  
 Blüh' und wach' an Ruhm und Ehre, sey und bleibe stets beglückt,  
 So daß man Dich stets im Ceregen und erwünschtem Wohl erblickt.

Matthias Hermann Bolte,  
 Theol. Cult.

**A**FFECTVS quid sit monstrans conamine docto  
 Hoc TVO; monstrans hic, TIBI quis fuerit  
 Huc vsque illustris doctas AFFECTVS in artes.  
 Accipe sic rogo, Musula quas teneas  
 Temporibus nectit gratulanter nostra corollas.  
 Sic pergas cœpto in tramite; sisque fauens.

LVDOVICL  
 Iur. Vtr. Cult.



St 2014

(1)

Rebo ✓

VD 1700


TA 2014


ULB Halle

004 760 913

3







DE

# AFFECTIBUS

DEMONSTRATIO PHILOSOPHICA.

QVAM

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI

SISTUNT

PRÆSES

M. GODOFREDUS PROFE

AMPL. FACULT. PHILOSOPH. ADJUNCTUS,

ET

AUCTOR RESPONDENS

JOANNES CONRAD DANIEL HOYOLL

JUR. UTR. CULTOR.



D. OCTOBR. clo lccc xxxix.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
LITERIS HENDELIANIS.